

COMMENTATIONES
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM
GOTTINGENSIS
RECENTIORES.

VOLUMEN VI.

AD A. MDCCCXXIII — XXVII.



CUM FIGURI S.

GOTTINGAE,
SUMTIBUS DIETERICHIANIS.

MDCCCXVIII.

I N D E X

COMMENTATIONUM RECENTIORUM

VOLUMINIS SEXTI.

Praefatio *Jo. Frid. Blumenbachii.*

Pag. III - XX

COMMENTATIONES CLASSIS PHYSICAE.

<i>Jo. Guil. Henr. Conradi</i> de mania sine delirio	3
<i>Lud. Jul. Casp. Mende</i> de hymene seu valuula vaginali	23
<i>Jo. Guil. Henr. Conradi</i> de varia affectionum pulmonum, quaes apoplexiae pulmonalis nomine signatae sunt, ratione	43
<i>C. Himly</i> demonstratio hydrocephali humani memorabilis	61
<i>Conr. Jo. Mart. Langenbeck</i> de cerebro, aqua ingenti sacci- forme distento, cum nondum perfecto conferendo	73
<i>H. Adolph. Schrader</i> Blumenbachia nouum e Loasearum familia genus, adiectis obseruationibus super nonnullis aliis rarioribus aut minus cognitis plantis	91
<i>Jo. Frid. Blumenbach</i> noua pentas collectionis suae cranio- rum diuersarum gentium	141

COMMENTATIONES CLASSIS MATHEMATICAEC.

<i>Jo. Tob. Mayer</i> lex Mariotti ex principiis theoreticis deducta	Pag. 3
<i>C. Frid. Gauss</i> theoria residuorum biquadraticorum, Comm. I.	27
<i>Ei. supplementum theoriae combinationis obseruationum erroribus minimis obnoxiae</i>	57
<i>Ei. disquisitiones generales circa superficies curuas</i>	99

COMMENTATIONES CLASSIS HISTORICAE ET PHILOLOGICAE.

<i>Th. Chr. Tychsen</i> de numis graecis et barbaris in Bochara nuper repertis, imprimis numo Demetrii, Indiae regis cum obseruationibus super numo pro Antigoni Asiae regis habitu	3
<i>Id. de origine ac fide antiquae Persarum historiae, qualis a scriptoribus orientalibus traditur, Comm. I.</i>	17
<i>Ei. Comm. II.</i>	42
<i>Arn. Herm. Lud. Heeren</i> de fontibus Geographicorum Ptolemaei, tabularumque iis annexarum, num ii Graecae an vero Tyriae originis fuerint	59
<i>Jo. Godofr. Eichhorn</i> marmora Palmyrena explicita	81
<i>C. Odofr. Mueller</i> de Phidiae vita Comm. I.	121
<i>Ei. Comm. II.</i>	164
<i>Id. de signis olim in postico Parthenonis siue hecatompedi templi fastigio positis</i>	191
<i>G. Sartorius</i> de variis mercibus ab yrribus Germaniae septentrionalis seu Hanseaticis per Secula XIII - XVI. ex Russia enectis et occidentem meridiemque versus longius transportatis etc.	213

INDEX COMMENT. VOL. VI. XXIII

- | | |
|---|----------|
| <i>Jos. de Hammer</i> de Byzantinae historiae vltimis scriptoribus
ex historia Osmanica elucidandis et corrigendis | Pag. 233 |
| <i>Th. Chr. Tychsen</i> memoria Eichhornii | 253 |
-

TABULAE AERI INCISAE HUIC VOLUMINI INSUNT
SEQUENTES:

Ad commentationes physicas

- | | |
|---|-----------------|
| <i>Mendè</i> de hymene etc. | Tab. I - VI. |
| <i>Himly</i> demonstratio hydrocephali | Tab. I. |
| <i>Langenbeck</i> de cerebro aqua distento etc. | Tab. I - V. |
| <i>Schrader</i> Blumenbachia nouum genus etc. | Tab. I - IV. |
| <i>Blumenbach</i> noua pentas craniorum | Tab. LXI - LXV. |

Ad commentationes mathematicas

- | | |
|--|---------|
| <i>Mayer</i> lex Mariotti etc. | Tab. I. |
|--|---------|

Ad commentationes historico-philologicas

- | | |
|--|---------|
| <i>Tychsen</i> numi Graeci et barbari in Bochara reperti | Tab. I. |
| <i>Mueller</i> de Parthenonis fastigio | Tab. I. |

I O. F R I D. B L U M E N B A C H

NOVA PENTAS
COLLECTIONIS SUAE
C R A N I O R U M
DIVERSARUM GENTIUM

TANQUAM COMPLEMENTUM PRIORUM DECADUM

EXHIBITA IN CONSESSU SOCIETATIS D. VIII. JUL. MDCCCXXVI.

Ex denis inde annis postquam sextam decadem craniorum diversarum gentium sodalitio nostro exhibueram, collectio mea ethnographica capitum osseorum augmentis memorabilibus adeo ditata est, ut jam operae pretium videatur saltem quinas istarum accessionum tanquam complementa antecedentium coronidis loco exhibere. Et quidem ex pluribus tales selegi calvarias quae integrarum gentium historiam, habitum corporis et vitae genus illustrare poterunt.

LXI. VETERIS GERMANI.

(— TAB. LXI —)

Atque ut ab antiquis orbis veteris gentibus oriari, prout antea de craniis priscom Aegyptiorum, Hellenorum, Romanorum et Tschudarum disserendi occasio mihi data est, ita iam de popularium nostrorum, veterum inquam Germanorum capitibus osseis paucis agere liceat.

Et quidem quanquam difficile sit aevum quo quondam vixerint, imo vero stirpem gentilitiam ad quam referenda sint, curatus definire, nullus tamen destiti huiusmodi reliquias conquirere, earumque satis magnam copiam per Germaniam inde a Cimbricis tumulis ad Austriacos, et a Rhenanis ad Lusaticos usque erutam, colligendi et invicem comparandi mihi data est occasio.

Rarissimum vero est unum alterumue craniorum integrum ex tumulis eruere, quale hac tabula exhibetur, prope Romsted in terris Vinariensibus cum multifariis aliis eius aevi et gentis reliquiis detectum, quarum notitiam dedit Perillustris DE GOTHE, societatis nostrae sodalis *a)*, cui Viro mei amantissimo hoc ipsum cranium debo; quod habitu vniuerso symmetricum et formosum spectatur, et quidem pro corona dentium integritate extremisque adhuc latentibus *juvenile*, et si frontem globosam et limbi alveolaris angustiorem arcum spectes, *femineum* videtur, crassitie tamen ossium planorum insigne, hincque et pondere alia eiusdem magnitudinis capita ossea superans.

Quotquot vero praeter hanc ipsam alias veterum Teutonum calvarias e tumulis erutas, etsi minus integras, imo vero et magnam copiam fragminum osseorum, ex urnis praesertim sepulralibus desumitorum comparavi, in his omnibus ne unicum quidem reperi

a) Ueber Kunst und Alterthum T. II. P. I. pag. 195.

quod magnitudine insolita similes sceleti partes nostri aevi Germanorum,

qualia nunc hominum producit corpora tellus,
superare dixeris b), adeo ut ad hanc ipsius naturae veritatem
sublestior videatur fides et ad licentiam si non poeticam certe politi-
cam referenda relatio scriptorum Romanorum de veterum Germanorum corporibus ingentibus, immanibus, altissimis c).

Quamquam enim nemo dubitauerit extitisse etiam inter veteres Germanos passim aequa ac inter hodiernos, et plerasque alias gentes individua vulgarem staturam popularium suorum mire superantia, adeo rara tamen et tunc ea fuisse ex modo dictis appareat, ut ad exceptiones quod aiunt, regulam potius confirmantes, pertineant.

b) Perbene iam eo arguento usus est ad diluenda *Jo. Picardti somnia de giganteo veterum Westphaliae et Frisiae incolarum habitu* *Io. H. Cohausen in ossilegio historico-physico.* 1714. 4. pag. 19.

Ex nuperrimis vero Teutonicorum tumulorum curatis indagatoribus eandem de medioeri tantum veterum ad quos pertinuerunt incolarum statura declarantibus, videsis praesertim *H. Schreiber in neuentdeckten Hünengräbern im Breisgau.* Friburgi 1826. 8. pag. 27 et 66.

c) Adeant, quibus volupe est, siluam eorum in *Cluveri Germania antiqua* pag. 92. ed. L. B. 1631. Fol. et *Conringii l. de habitus corporum Germanicorum antiqui et noui causis*, c. annotat. *Burggravii* Francof. 1727. 8. pag. 128 et al.

LXII. *KAMTSCHADALI GENUINI.*

(— TAB. LXII. —)

Uti ad maxime memorabiles in historia generis humani even-
tus referre oportet integrarum nationum non una ex caussa ex-
stinctionem, ita et crania eorum in museo meo anthropologico su-
perstita ad cimelia eius in primis memorabilia numero.

Exhibui ex horum ordine prioribus iam decuriis calvarias ge-
nuinorum Caribaeorum rubeorum (probe a nigris maronibus aethio-
picae originis distinguendorum) et mumiae Guanchi, incolae aborigi-
nis insularum fortunatarum.

Iam vero contigit mihi esse tam felici aliis adhuc gentis ho-
dienum ut videtur prorsus extinctae cranium acquirendi, sinceri
nempe Kamtschadali, ab aliis istius peninsulae incolis Mongolici stem-
matis, quales Koraeki et Tschudae sunt, plane diversi.

Numerum horum Kamtschatcae aboriginum (qui se ipsos *Iti-*
almen vocabant) jam inde a classici super iis auctoris, STELLERI
tempore indies magis magisque ita decrevisse constat, ut meritissi-
mus navarcha, sodalis noster per illustris DE KRUSENSTERN jam ante
vicenos et quod excurrit annos in celebri suo periplo exiguos sal-
tem eorum superesse memoret, hosque ipsos paucis fortasse annis
plane extintos fore praedicet.

Pridem iam spe decideram genuini aboriginis Kamtschadalici
cranio museum meum locupletandi, postquam et Aschii nostri,
qui ipsum istud tanta liberalitate ditaverat, et Krusensternii
itineris sociorum conatus eo scopo frustranei fuerant, cum nu-
per AUGUSTARUM VINARIAE PRINCIPUM gratia, quibuscum desiderii
huius mentio inciderat, ex itinere Petropolitano reducum, ipso
hocce de quo iam agitur cranio donarer, uno ex binis quae
ibi in Museo historiae naturalis servabantur.

Fa-

Facies in universum respondet tam iis quas quondam STEPH.
KRASCHENINNIKOW de Kamtschadalis aboriginibus notavit, vultum
nempe eorum etsi aliis nonnullis Sibiriae gentibus depressa plani-
tie similem, tamen zygomatum late extantium prominentia singula-
riter insignem conspici d), tum vero et curatis et vere charac-
teristicis iconibus istorum hominum, omnium maxime vero muliebri
imagini, quae Cookii ultimi itineris historiae inserta visitur. e).

d) *Description du Kamtchatka* pag. 14. ed. Paris. 1768. 4.

e) Vol. III. (Cptn KING's continuation) tab. 76.

LXIII. *BATAVI GENUINI.*

(- TAB. LXIII -)

Cum longe diversissima sit ratio formae gentilitiae eorum populorum, qui cum aliis vicinis seu aduenis per longas iam generationum series mixti sunt, et e contrario eorum, qui aut patriae glebae fideliter adscripti haeserunt, aut saltem etiamsi longe latèque dispersi fuerint, tamen non extra nativam stirpem coniugia ineunt; facile intelligitur horum etiam crania constantem magis formam prae se ferre, cuiusmodi exempla ex Europaeis gentibus iam prioribus decadibus exhibui Iudeorum et genuini Cingari.

Eorum autem qui fixis sedibus inde a longo tempore adhaeserunt, memorabilia specimina nactus sum terna eaque singula reliquis quoad characterem gentilitium aequalia genuinorum inquam Batavorum ex insulis sinus australis (*Zuyder - Zee*) Marken, Urk et Shokland.

Interim tamen illud hic exhibendum selegi quod eum characterem, praesertim frontem valde reclinatam, glabellam contra cum arcibus superciliaribus, et maxillaribus ossibus prominentem, maxime prae se fert.

Hoc ipsum debeo cI. D. PRINS, reliquos medicis meritissimis CRULL, KUYPER et VAN SWINDEREN, quibus omnibus istae quas dixi insulae earumque incolae proprius notae sunt.

LXIV. FEMINAE SINENSIS HYBRIDÆ.

(— TAB. LXIV. —)

Prout iam prioribus decuriis de characteristico habitu agendi occasio data est eiusmodi aut populorum aut singulorum hominum qui ex diversorum stemmatum connubio ortum suum duxerunt, quales Mulatti sunt, aut passim Kirgisi et Jacutae medium inter Tataricum et Mongolicum vultum tenentes; ita nunc memorabile specimen huiusmodi progeniei mixtae, et quidem Malaicae generis humani varietatis cum Mongolica exhibere mihi licet.

Cranium inquam Javanae quae matrem quidem Malaicam, patrem vero Sinensem habuit, quod ex itinere sexenni Indico unice ad illustrandam remotissimarum istarum plagarum historiam naturalem et anthropologicam instituto retulit celeberrimus mihique amicissimus C. G. C. REINWARDT Prof. Leidensis, qui simul rarissimae huic calvariae hybridæ aptissime iunxit bigam aliorum, integri inquam Sinensis et genuini Malaici Bantamensis.

Collatum cum his cranium hybridæ progeniei de quo iam agitur, singulari leuitate insigne, paterno stemmati praeter alia glabellam planam et ad nasum declivem, materno vero mandibulas prominentiores debere videtur.

LXV. VETERIS PERUANI.

(— TAB. LXV. —)

Cum in humani generis naturali historia praeter nativas varietas etiam ad eas attendere oporteat quae artificiosae tantum encheiresi debentur, per longas generationum series constanter iteratas, earum quae cranii formam spectant exempla in Caribaeis et Indis Americae borealis exhibui, et nubem testium inde ab Hippocratis macrocephalis ad pontum Euxinum et veteres Siginnos apud Strabonem usque ad recentioris aevi cultioris Enropae nationes pridem alias congregati. f).

In primis memorabilis videtur ritus priscis Peruanis *Incarum aevi* sollemnis neonatorum capitula in singularem formam diffingendi; cuius encheiresin curate descriptis auctor de rebus Peruviae classicus Jo. DE TORQUEMADA g). Tempus vero quo mos ille gentilitius sensim exolevit, augurari licet ex cardinalis DE AGUIRRE collectione conciliorum novi orbis h).


Ipsa autem huiusmodi crania singulari ex pressura contra naturae modulum transformata hodienum adhuc in catacombis sepulcribus veterum Peruviae incolarum reperiri, praeter bigam eorum, gypso ad prototypa effectorum, quae cel. chirurgus Londinensis J. C. CARPUE servat, iam ipsissima genuina Indi calvaria docet ex veteri tumulo (quos Peruani *Guakas* vocant) prope Quilecam effossa, qua cl. ALEX. CALDCLEUGH (descriptione itineris triennis per magnam Americae australis partem celeber) museum meum ditavit.

Catagrapho quod explicatione haud eget subiunxi minorem iconem eiusdem caluariae secundum normam verticalem quam alias commendavi delineatae.

f) *de generis humani varietate nativa* pag. 214—23. quibus adde duumaviros anthropologiae peritissimos W. LAWRENCE in *Lectures on the natural History of Man* pag. 368 sqq. et J. C. WARREN on the sensorial and nervous Systems, pag. 100 sq. et 131 sq. Attamen et hodienum extant viri physiologice docti, qui capitis infantilis in gentilitiam quandam formam redigendi artifacia in dubium vocant, ut cl KNOX in *Memoirs of the Wernerian Society* Vol. V. P. I. p. 218. et cl. DESMOULINS in *Histoire naturelle des Races humaines* p. 308.

g) *Monarchia Yndiana*, Sevillae 1615. fol. T. II. l. XIV. cap. 25.


h) Vol. VI. ed. Romanae 1755. fol. pag. 193—208.




LXI. veteris Germani.


erlein del. Riepenh.^m sc., c. seq^r.

Max



LXII. Kamtschadali genuini.







LXIII. *Batavi genuini.*



Amoris vestrum. Vnde

RE



LXIV. *Feminae Sinensis hybrida*





LXV. veteris Peruani.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2010



QPCARD 201

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130

